Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1542
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ubi iusticia et pax et gaudium sicut ad sinistram hedi constituuntur. idem in miseria
propter iniquitatis labores. atque cruciatus. Sedere ergo quod dicitur non membrorum
positionem. sed iudiciariam significat potestatem qua illa maiestas numquam
caret semper dignis digna tribuendo. quamvis in extremo iudicio. multo ma
nifestius inter homines unigeniti filii dei iudicis vivorum atque mortuorum
claritas indubitata futura sit. Credimus etiam inde venturum convenientissimo
tempore. et iudicaturum vivos et mortuos. sive istis nominibus iusti et peccatores signi
ficentur. sive quos tunc ante mortem in terris inventurus est appellati sunt vivi.
mortui vero qui in eius adventu resurrecturi sunt. Hec dispensatio tem
poralis non tantum est sicut illa generatio secundum deum. sed etiam fuit et erit. Nam
fuit dominus tunc in terris et nunc est in celo. et erit in claritate iudex vivorum
atque mortuorum. Ita enim veniet sicut ascendit. secundum auctoritatem que in
actibus apostolorum continetur. Ex hac itaque temporali dispensatione loquitur
in apocalypsi. ubi scriptum est. Hec dicit qui est. et qui fuit. et qui venturus est.
Digesta itaque fidei q; commendata et divina generatione domini
nostri et humana dispensatione. adiungitur confessioni nostre ad perficiendam
fidem que nobis de deo est. spiritus sanctus non minore natura quam pater et filius. sed ut ita
dicam consubstantialis et coeternus. quia ista trinitas unus est deus. non ut idem sit
pater qui est filius et spiritus sanctus. sed ut pater sit pater. et filius sit filius. et spiritus sanctus sit spiritus sanctus.
sed et hec trinitas unus deus. sicut scriptum est. Audi israel. dominus deus tuus. deus unus est. Tamen
si interrogemur de singulis et dicatur nobis. deus est pater. respondebimus. deus. Si queratur
utrum deus sit filius. hoc respondebimus. Nec si fuerit de spiritu sancto talis interroga
tio. aliud eum esse debemus quam deum. vehementer caventes. quomodo accipe de hominibus
dictum est. dii estis. Non enim sunt naturaliter dii. quicumque sunt facti. atque conditi. ex patre
per filium et in dono spiritus sancti. ipsam enim significat trinitatem. cum apostolus dicit. quoniam ex ipso.
et per ipsum. et in ipso sunt omnia. Quamquam ergo de singulis interrogati respondeamus
deum esse. nec hoc querit sive patrem sive filium. sive spiritum sanctum. non tamen tres
deos a nobis quisque coli existimaverit. Nec mirum quod hec de ineffabili
natura dicuntur. cum in his etiam rebus quas corporeis oculis cernimus. et corporeo sensu
diiudicamus tale aliquid accidat. Nam cum de fonte aliquo interrogati non
possimus dicere quod ipse sit fluvius. nec de fluvio interrogati possimus eum
fontem vocare. rursus potionem que de fonte vel fluvio est. nec fluvium possimus